

PROLVSIO
DE
PRIVATA VETERVM ROMANORVM
DISCIPLINA

QVA AD

ORATIVNCVLAS

DE

DISCIPLINA LYCVRGI

IN

SCHOLA THOMANA

A. D. XIX. APRILIS

AVDIENDAS

PATRONOS ET FAVTORES

INVITAT

IO. AVGVSTVS ERNESTI

RECTOR

1747.



LEIP
11 (1747)

7094

PROCEEDINGS

OF

THE BOARD OF DIRECTORS

OF THE

STATE

OF NEW YORK

IN

DISCUSSING

THE

PROVISIONS

OF THE

CONSTITUTION

AND

THE

ACTS

RELATIVE

TO

THE

REVISION

OF

THE

CONSTITUTION

AND

THE

ACTS

RELATIVE

TO

THE



Cum vniuersa respublica Romana sapienter, et ad imperium orbis terrarum parandum obtinendumque vna omnium ciuitatum, quarum quidem memoria extat, aptissime, auctore Polybio, iudice idoneo in primis, fuerit constituta: tum vero nihil praeclarius, et in suo genere perfectius fuit vetere disciplina Romana, non modo publica illa, et militari, et ciuili, quam *reip. et ciuitatis disciplinam* vocat Cicero, sed etiam priuata et domestica, qua domus ciuis cuiusque honestioris et familia regeretur. Nam vtramque reperimus adeo sapienter fuisse temperatam, vt nihil, non dicam exquisitius, sed par, inuenire summi Philosophi potuerint, cum salute autem et vtilitate, cum singulorum, tum vniuersorum, ita coniunctam, vt sapientissimi viri, cum ea rempublicam potentiamque Romanam et stetisse et cecidisse, dicant. Cicero quidem, non vno loco, perturbationem veteris *disciplinae* deplorat, in quam prima aetas sua incidisset: L. I. *praef.* L. I. *praef.* L. I. *praef.*

IV

me, mores quoque lapsos esse, atque ita praecipites esse, queritur, ut iam nec vitia sua ferre homines, nec remedia pati possint. In quo illi plurimum viderunt. Est enim disciplina vera virtutis magistra, et felicitatis humanae publicae priuataeque parens. Nam leges quidem, quantumvis sapienter scriptae, vim habere ad felicitatem, siue nullam, siue perexiguam, possunt, nisi mores hominum idonea disciplina et contineantur et fingantur: neque alia fortasse de causa tam parum legibus diuinis humanisque obediens ciues habemus, quam, quod publica quidem disciplina prope nulla est, priuata autem plerumque, si quidem est aliqua, peruersa tamen, et a ratione vehementer abhorrens reperitur. Neque id mirum cuiquam potest videri, quando ea neque publicis legibus, ut apud populos cultiores quondam mos fuit, sancita est, neque a prudentibus viris constituta, sed cuiusque priuati, quamvis stulti et stupidi, hominis arbitrio et consilio, siue libidine potius, regitur.

Sed, in disciplinae verbo intelligendo, magnam in animis nostrorum hominum video inscitiam versari. Nam, primo, disciplinam vulgo putant esse propriam annis puerilibus: deinde permultis, disciplinae, imprimis puerilis et scholasticae, nomen audientibus, occurrunt statim vis, et feruilis metus, verbera in primis: siue pertinaciae suae, non nisi talibus rebus coercendae, conscientia, siue, quod suos sibi praeceptores parentesque aditum ad rationem animumque per tergum vicinasque partes quaesisse recordantur: ad minimum reprehensiones iracundae et clamorae: quique his in sensus teneros grassatur, eum disciplina recta et seuera continere illam aetatem putant. Romanae autem disciplinae conditores, primo, illiberalitatem omnem feruilesque sordes ab ea remouerunt: deinde sapienter, post Graecos, Solonem, Lycurgum, aliosque viderunt, eam non
pueri-

Horat. Carm.
III, 24, 25. IV.
5, 22.

pueritiae angustiis coerceri, sed per omnes aetates vagari debere, neque puerorum tantum aetatem fingere, sed etiam virorum mores regere, et cupiditates, haud paullo vehementiores, et publice priuatimque nocentiores, continere. Est enim disciplina, vt recte docet summus sapientiae magister, Plato, duobus primis de Legibus libris, nihil aliud, nisi ratio quaedam, animos ad virtutis amorem vitii-que odium adducens, et, cum hoc ipso, tum adfuetudine quadam liberali, in officio homines continens. Quis autem, cuiusuis aetatis, homo ita potest esse impudens, vt hac sibi opus esse neget, aut quis ita stultus, ac, paene dicam, amens, vt virtutis amorem ac studium, officii-que constantem obseruationem (nam illa temporaria, quae cum verberibus definit, nihil opus est) vi, metu ac verberibus effici posse putet?

Sed illa ratio diuersa est a legibus, a quibus proprie, vt Paullus etiam docet, scientia quidem officii, non au- *Rom. VII, 7.*
tem amor virtutis, officii-que studium et cura, venit. *144.* Con-
tinetur igitur disciplina duabus maxime rebus: primum,
opinionibus ad illud, quod diximus, consilium accom-
modatis, animo paullatim instillandis: deinde, institutis
quibusdam solerter excogitatis, partim ad illas ipsas opi-
niones, sparsas iam in animis, alendas et confirmandas,
partim ad consuetudinem officii libenter et constanter fa-
ciendi inducendam. Ceterum illa ipsa disciplina indue-
re legum naturam potest, eius institutis legum
more modoque fanciendis, si quidem hanc naturam ha-
bent, vt vim legum et necessitatem capiant: id quod
fieri solet tum, cum bene instituta incipiunt negligi libe-
rius et crebrius, quam salus publica ferre possit, aut, si
quis bene a se institutorum diurnitati ac perpetuitati
consulere cupit. Ex hoc genere illud est, quod Lycur-
gus disciplinam, a se primum excogitatam, statim legi-

bus adstrinxit, ut ait Cicero: illius autem multa exempla suppeditat Romana disciplina, imprimis publica. Institutum fuit quondam Romae, ut homines disertis et rerum forensium periti causas agerent civium gratis, neque aliud praemium exspectarent, quam industriae laudem, ac deinde honores publicos, in quibus ipsis nulli reditus, nulla quaestus spes ostenderetur, sed sola dignitas, et de republica bene merendi facultas daretur. Id institutum accipiebat vim suam et religionem a magnifica opinione, quam prope cum lacte materno sugebant pueri Romani, ut nihil se dignius nihilque optabilius putarent, quam civibus publice priuatimque, etiam cum incommodo suo, prodesse, in eoque nullum alium, nisi laudis et gloriae, fructum spectandum esse: habebatque ea res has opportunitates, primo, ut, quod hodie iurandum est causarum agendarum ius petentibus, id sua sponte facerent, ne causas malas et improbas reciperent; cum nemo propterea laborare vellet, ut impudens ac rei turpis defensor videretur: deinde, ut hoc maiores gratias inirent, plurimosque constantes amicos sibi pararent, quod est haud paullo maius mercede qualibet lucrum. Sed cum paulatim apud nonnullos illius opinionis vis exolesceret, et pecuniam malle quidam, quam laudem, coepissent, exortus est Cincius, qui huic tam salubri instituto, quod nullo nisi honestatis vinculo, imbelli utique apud avidas pecuniae animas, teneretur, maiori necessitate adstringeret, legeque lata sanciret, ne cui ob causam orandam munus capere liceret. Illud autem facile intelligitur, hanc necessitatem non cadere in omnes disciplinae partes. Nam ea, quae inest in honestis ac liberalibus sententiis, nullo modo legum vinculis adstringi potest. Quod secus est in institutis iis, quae genere quodam actionum corporearum continentur: quae sunt omnes eiusmodi, ut vi humana vel extor-

torqueri possint ab inuitis, vel, quo minus suscipiantur, impediri. Ita fit, vt, quamuis sublata opinione honesta, institutum tamen maneat, sed, virtutis nomine ac laude detracta

His de disciplina vniuersa dictis, veniamus eo, quo iter constitutum habebamus, ad disciplinam Romanam veterem, non publicam vniuersae ciuitatis, sed priuatam singulorum ciuium honestiorum: quam dico ita fuisse institutam, vt nihil perfectius summi Philosophi excogitare potuissent, ne ille ipse quidem Xenocrates, Platonius, qui in primis videtur, qualis bona disciplina esse debeat, intellexisse: quippe interrogatus, quid maxime, profiteretur, se discipulis suis posse praestare: vt libenter, inquit, et sua sponte faciant, quod alii legibus coacti et inuiti faciunt. Vsa enim est institutis eiusmodi, quae et sententiis generosis, honestis, et cum salute et vtilitate publica priuataque coniunctis, niterentur, et naturalem honesti sensum acuerent et corroborarent, denique homines consuetudine quadam liberali ad virtutem conformarent. Quod si quid ei labis adpersum alicubi fuisse reperiamus, id totum vel temporum rationibus, vel humanae imbecillitati, condonabimus, meminerimusque, eam non a Deo, sed hominibus, iisque expertibus diuinae lucis, conditam constitutamque fuisse

Iam primum, quoniam nobis est a natura innatus quidam naturae diuinae sensus, cuius vi ac numine res humanae regantur, reuerentiaque eius et cultu maxime reip. salus continetur, vt vidit etiam Polybius, hoc in primis insitum ciuibus, a prima aetate, penitusque infixum voluerunt disciplinae Romanae auctores, vt ita de Deorum natura sentirent, atque hoc publice priuatimque instituerunt vt nihil, neque in publicis, neque in priuatis rebus, sine Diis ageretur, sed tum demum, cum ii essent aut precibus sacrificiisque placati, aut auspiciis aliisque modis consulti. Quod cum

VI, 54.

Polyb. 1. c.
Cic. Leg. II. 7.

Cic. de Diuin.
l. 16. Plin. P. 1.

VIII

cum illi fecerint in Diis falsis, et opinionis errore confictis, quid eos facturos fuisse putemus, si iis diuinæ sapientiæ lux affulisset? Et quia religionem maxime attingit, et fidem publicam priuatamque, rem longe saluberrimam, continet iusiurandum, eas de hoc sententias spargendas in animis hominum, ita illud religiose seruandum, censuerunt, ut nulla prope res incidere posset, qua iureiurando liberarentur: idque institutum tam diu mansit inuiolatum, donec noua Graecorum sapientia in urbem delata, quibus de causis iureiurando homines exsoluerentur, docendo, persuasit, ut sibi homines iusiurandum mallent interpretando argutandoque aptum facere, quam, cupiditates coercendo, eius sanctitatem inuiolatam conseruare

*Polyb. VI. 54.
Liu. III. 20.
etc.*

Proximum locum a re diuina tenet publica, neque secundum pietatem in Deum excellentius quidquam est, et magno animo dignius, quam publicæ salutis utilitati-que omnia priuata commoda posthabere. In quo docere superuacuum est, quam magnifice, per multa secula, et senserint Romani et fecerint. Pleni enim sunt Romanorum Graecorumque, de rebus Romanis scribentium, libri et dictis et factis, ab illo generoso animo profectis. Sed ea res, a quibus causis ducta sit, quaeri potest. Atque nos non ii sumus, qui omnino negemus, quibus temporibus maxime opibus floreret Romanum imperium, iis magnam vim habuisse illud, quod in ea se ciuitate viuere homines viderent, quæ esset omnium beatissima, cuiusque ciues commodis longè maioribus fruerentur, quam ceterarum, quas vel vidissent, vel audiendo legendoue cognouissent. Sed idem animus, idemque, atque adeo longe maius, publicæ rei studium reperitur temporibus superioribus, neque illud, cum potentia Romana, auctum magis, quam diminutum videas. Et quanquam legibus, cum ciuilibus, tum iis, quibus militaris disciplina descripta erat, permagna vis fuit
ad

ad rem pace belloque praeclare gerendam: tamen in situm illud studium, atque incredibilis ille ardor periculorum pro patria adeundorum, legum minis non potuit incendi. Vnde fit, ut totum hoc natum fuerit a disciplina quadam communi, quae illum, quem diximus, sensum omni modo excitaret et confirmaret

Illud quoque in signe disciplinae Romanae institutum fuit, quod hac opinione animi a tenera aetate imbuti sunt, ut Roman caput rerum fore sperarent, itaque in fati esse crederent, ut, si sibi non deessent ciues ipsi, imperium orbis terrarum aliquando obtinerent. Eius persuasionis autem quae vis fuerit, Polybius non vno loco docet. Nam, cum ab hac opinione ac spe nata esset magnitudo animi, et insatiabilis quaedam vincendi cupiditas, et, cum hac ipsa, fortitudo, cum ad hanc opinionem accommodarent reip. descriptionem, ad ea omnia referrent consilia, eam denique in rebus gerendis spectarent maxime, tandem ad effectum operis tanti peruenerunt. Atque, ut hoc magis appareat, ea opinio, idque consilium, quanti fuerit, insuper confirmat, si qui populus potens existat posthac, qui idem sibi proponat, idque propositum totis viribus, per aliquot secula vrgeat, ei tandem similem euentum non defuturum

Multae aliae sunt praeclarae opiniones, quibus mature audiendis, animoque penitus recipiendis, ad virtutes permagnas, in primis in bello vtilis, Romani sunt conformati: quarum permultas egregie expressit Virgilius, cum in vniuersa Aeneide, tum in illo futuri populi Romani, apud inferos, recensu: Non cedere malis, sed contra audentior ire, atque ab ipsis calamitatibus opes animosque sumere: Quicquid proposueris, id ad extremum tenendum esse, nec ab eo: villo malo abigi: Victis et dedentibus se parcere, superbos et victores debellare: Non insidiis vin-

B

cere

Polyb. I. 3. 63.
Ouid. Fast. IV,
 831.

Polyb. Exc.
Leg. 69. cf. Liu.
XLII, 63.
Polyb. I. 37. 55.
59. etc.
Polyb. Exc. L.
X. 15.

Polyb. Exc. L. cere nec scelere, sed vi aperta, et fortitudine, fortitudi-
XIII. init. nisque laudem bello petere, non calliditatis: Inimicitias pri-
Cic. off. I. 22. uatas publicis vtilitatibus condonare: et aliae his similes,
Cic. orat. in
Sen. P. R. c. 10. magnificae omnes, et dignae populo orbis terrarum domi-
 no futuro, in publicumque longe vtilissimae

VI. 51.

Atque etiam institutis quibusdam et incitabant et adiuuabant magnos sensus, gloriaeque cupiditatem: in quibus Polybius praedicat in primis laudationes in funeribus illustrium virorum fieri solitas, et pompas imaginum vestitarum et ornatarum insignibus honorum, quos viui gessissent, confidentiumque in sellis curulibus, in foro, prope rostra, velut ad audiendam laudationem eius, qui a se ortus esset: quo spectaculo, ille ait, nullum temere pulchrius et efficacius iuuenis queat intueri. Ipsae profecto imagines maiorum, cum titulis honorum rerumque gestarum, nulla alia de causa in atriis positae, quam, vt quotidiano adspectu patres pariter ac liberi ad gloriam rerumque gerendarum studium incenderentur. Cuius rei causa etiam hoc institutum, antiquis reipublicae, hoc est, bonis, vt Cicero vocat, temporibus fuit, vt in conuiujs, non lafcivae cantilenae sonarent, non de nugis, vt hodie fere fit, garriretur, sed laudes ac res gestae illustrium virorum canerentur. Adde vestitum ingenuorum puerorum, similem ei, quo summi magistratus et sacerdotes utebantur: cuius vsu et adspectu quotidiano admonerentur, quid spectandum sibi, quo contendendum esset. Adde deductionem solemnem in forum, tirocinii die, ad togam virilem a praetore accipiendam, deducentibus patre, cognatis, amicis: quorum vocibus incensus puer digna viro, digna togato, h. e. ciue Romano, cogitare, agere inciperet, et alia his similia. Satis de opinionibus et institutis iis, in quibus salus et vtilitas publica maxime spectaretur. Ad partem disciplinae eam veniamus, quae vitam priuatam proxime attigit, sed vnde etiam ad remp. plurimum vtilitatis redundauit

In

In qua prima ratio habita est educationis vniuersae, eaque tam diligens, vt parentibus omnibus, ad imitandum debeat esse proposita, ab eaque disciplina et auctoritas educandorum liberorum petenda videatur. Cratetis hoc fuit optatum, vt aliquis sibi daretur locus celsissimus in vrbe Atheniensi, vnde omnes se audire possent clamantem: quid agitis, homines, qui summo studio rem diuitiasque augetis, filios vero, quibus eas relinquetis, parum curatis? quod, vere Plutarchus ait, esse nihil aliud, quam de calceo sollicitum esse, pedem non curare. Id, si iisdem temporibus Romam venisset, superuacaneum fuisset optare. Nam tum nihil magis, quam liberorum institutio moresque, a parentibus curabatur. Eius rei illustre documentum habemus in Augusto Caesare, qui, vt in multis aliis rebus, ita et in hoc genere e veteri disciplina plurima vsurpauit: *falias et neptes ita instituit, vt etiam lanificio adsuafaceret, vetaretque loqui aut agere quidquam, nisi propalam, et quod in diurnos commentarios referretur*. - . *Nepotes et literas, et notare* (sic enim arbitror cum Lipsio legendum) *aliaque rudimenta per se plerumque docuit*. - . *Neque coenauit vna, nisi vt in imo lecto* (id est, ad fulcra lectorum) *adsiderent*: quem veterem morem fuisse idem Suetonius tradit: *neque iter fecit, nisi vt vehiculo anteirent, aut circa aequitarent*. Haec ergo Caesar Augustus, orbis prope terrarum dominus, in vita, quando ipse per se imperabat, haud dubie negotiosissima. Atqui ista tantum speciminis loco prolata sunt a Suetonio. Qualem igitur in maioribus rebus curam adhibuisse putemus? aut qualem veterum illorum Romanorum in eo genere fuisse diligentiam credamus, quibus ipsa tempora et locus maiorem eius facultatem dabant? Et iam non pudebit nostros parentes, priuatos homines, qui aut sibi tempus deesse mentiuntur, quo minus liberos curare possint, aut istam primae aetatis curam indi-

Sueton. Aug.
64.

Claud. 32.

XII

gnam esse sua persona putant, aut non satis patientiae habent, ad liberorum imbecillitatem, quae ferenda utique est in ista aetate, tolerandam? Est sane, si quidquam aliud, mea quidem sententia, hoc maxime mirabile, eos, qui, in negotiis ceteris obeundis, neque studium suum desiderari neque diligentiam curamque sinant, et summa patientia sustineant laborum et negotiorum omnium molestias, siue boni publici, quod honestum est, siue quaestus causa, quod ferendum, eos igitur impatientissimos esse, si quid agant cum liberis, negligentissimosque in eorum ingeniis, animis, vita, profectibus inspicendis, cum nullum maius munus praestare reipublicae, quam bonum et utilem ciuem, nulla in re maiorem quaestum facere, quam liberis ad virtutem et sapientiam conformandis, possimus. Sed querelae istae, quanquam nemini magis condonandae, quam his, quibus, quod parentum negligentia intriuit, omne propemodum exedendum est, certe primis degustandum, tamen ab hoc genere scriptionis absint. Ad Romanos redeamus: qui quantam tenerae aetatis curam olim habuerint, et quomodo ad virtutem adduxerint, a vitiisque auocarint liberos, etiam Cornelia Gracchorum mater, et Horatianus ille pater docet, qui *traditum ab antiquis morem* vocat, filiorum vitam famamque tueri incolumem, dum custodis egeant, qui filium Romam duxit docendum artes, *quas doceat quiuis eques, atque senator semet prognatos*, eidemque custos circum omnes doctores adfuit. Nempe parentum veluti manibus omnia melius prouenire existimabant, quia et melius curarentur. Neque profecto humile quid aut fordidum fecisse putandi, verbi causa, Claudiorum, Scipionum, Fabiorum, similibumque virorum patres, si hos vel in gremio suo sedentes elementa literarum numerosue docuissent: quod nec Aristoteli, summo Philosopho, humile visum est facere in Alexandro puero: nedum ut iis indignum, et non potius honestum ac gloriosum, iudicaretur, filios ad virtutem dictis institutisque formasse

Iam

*Sermon. I. 4.**Quintil. I. 1.*

Iam, virtutum priuatarum praecipuae fere sunt hae: patientia in labore, iustitia, cum omnis, tum maxime ea, quae in re familiari vel quaerenda, vel augenda, cernitur, parsimonia, frugalitas et temperantia. In finitum autem foret, de singulis dicere, quid disciplina Romana vetus sanxerit, ut iis homines adfuerent: nec est obscurum de plurimis, in primis post ea, quae supra diximus. Quare, ne nimis longi simus, maneamus in vno genere, quod multa alia in se continet, rei familiaris quaerendae, tuendae, fruendaeque ratione: in qua vel maxime bona disciplina indigere hominum animi videntur. Neque enim in vlla facile res est, e qua plura vitia et scelera nascantur, nisi omni modo disciplinae cuiusdam seuerae vi ac necessitate vel coerceatur vel dirigatur. Et enim in quaerenda pecunia saepe non modo turpitudine quaedam et sordes cernuntur, sed etiam existunt fraudes et iniuriae innumerabiles: unde nascuntur lites, inimicitiae, etiam inter eos, inter quos minime debebant. In tuenda autem re et vtenda facile in vtramque partem a parsimonia, vel ad auaritiam et tenacitatem, vel ad profusionem declinatur. Quod cum viderent Romani, summa diligentia ei rei prospicere ac consulere instituerunt, caueruntque, ne facile vel iniuriae, pecuniae causa, vel auaritia, aut profusio orirentur.

Relictis igitur omnibus, hac opinione animos imbuendos. putarunt, ne paupertas turpis videretur, aut hominum dignitas rei familiaris magnitudine iudicaretur, neque cuiquam honoris aliquid vel diuitiis adderetur, vel paupertate detraheretur. Itaque non fuit *Liu. II, 26.* turpe neque Horatio, vrbis liberatori, non reliquisse, unde sepeliretur, neque Menenio Agrippae, plebis Romanae in *ibid. 33.* vrbem reductoris et concordiae publicae instauratori: Quintius autem Cincinnatus non propterea indignus sum- *ibid. III, 26.*

XIV

praef. L. I. mo imperio visus est, quod nonnisi quatuor iugerum agrum suis ipse manibus coleret. Vnde Liuius vere dicit, nullam vnquam remp. fuisse, in quam tam fera auaritia immigrauerit, nec vbi tantus ac tam diu paupertati honos fuerit. Admiratione igitur diuitiarum exclusa, honestaeque paupertatis dignitate in animis hominum constituta, quid erat, quod homines ad iniuriam in genere pecuniario faciendam alliceret. Ea autem opinio orta est ab insita quadam animi magnitudine, quae libertatem potius, imperium in alias gentes, fortitudinis gloriam spectaret, confirmata autem parsimonia singulari

*Plut. in Numa
Plin. H. N.
XVIII, 3.* Atque vt hoc magis constringeretur cupiditas pecuniae, ita institutum est, vt perpauci quaerendae pecuniae modi honesti putarentur, et nonnisi hi, in quibus virtus aliqua animi eluceret: agricultura, in qua laboris patientia cerneretur, neque vlla fraus intercedere posset: bellum, quod fortibus rem daret, et parsimonia, quae a temperantia oriretur. Ceterae rationes omnes, in quibus, aut sine

Cic. Off. I, 42. labore quaestus veniret, vt feneratio, aut quaestus magnus ac solus peteretur, vt mercatura, inprimis ea, quae voluptati magis et luxuriae, quam necessitati seruiret, et opificia, partim non satis honestae, partim turpes habitae sunt. Quid? quod etiam vitae genera omnia, quae ob quaestum magis, quam vtilitatem publicam, exercerentur, parum honesta, minimeque digna ciue ingenuo, existimata sunt, libertinisque relicta. Ita, scribae publici ceterique magistratuum ministri, argentarii, praecones, coactores, operae campestris, saltatores, alique tales homines, partim parum honesti, partim etiam contemti atque infames fuere, vt infinitis Ciceronis, Suetonii, aliorumque Romanorum Scriptorum, locis demonstrari potest

Sed inprimis praeclara in hoc genere fuit inducta ab antiquissimis temporibus consuetudo conficiendarum ab vnoquoque patre familias tabularum, in quas omnia expensa et

praef. L. I.

*Plut. in Numa
Plin. H. N.
XVIII, 3.*

Cic. Off. I, 42.

XI
mo
fuis
lam
gra
Ad
per
quo
dam
anin
alias
tem

niae
moc
aliqu
cern
quoc
tia o
labo

ac fo
ptati
ficia,
Quic
magi
nesta
tinisc
mini
ftres,
parti
ceror
locis
S
antiq
vnoq

© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN® Gray Scale

M

Y

C

K

G

W

B

G

R



19

18

17

16

15

14

13

12

11

10

9

8

7

6

5

4

3

2

1

A

19

ior iugerum agrum
is vere dicit, nul-
fera auaritia immi-
ertati honos fuerit.
honestaeque pau-
nstituta, quid erat,
pecuniario facien-
st ab infita quadam
ius, imperium in
ret, confirmata au-

ur cupiditas pecu-
erendae pecuniae
in quibus virtus
a laboris patientia
re possit: bellum,
quae a temperan-
n quibus, aut sine
quaestus magnus
is ea, quae volu-
ti feruiret, et opi-
rpes habitae sunt.
quae ob quaestum
entur, parum ho-
timata sunt, liber-
que magistratuum
s, operae campe-
m parum honesti,
e, vt infinitis Ci-
um Scriptorum,

e fuit inducta ab
nficiendarum ab
as omnia expen-
sa et

fa et accepta referrentur. Id institutum ita sanctum habi-
 tum fuisse intelligitur e Cicerone, ut, qui nullas tabulas con- *Verr. I, 23.*
 ficeret, aut se conficere negaret, hoc ipso suspectus ac pro-
 pe infamis esset: non modo, quod parum diligens pater-
 familias videretur, sed quod indicare existimaretur, pecunias
 se turpibus nominibus vel accepisse vel expendisse. Quid? *Cic. Verr. II.*
 quod pecuniae extraordinariae, h. e. eae, quae non in acce- *70.*
 ptis scribuntur, infames fuere, et hominibus criminis loco
 obiectae. Dicit aliquis: quam ergo vim hoc institutum ha-
 buit, vel ad avaritiam, vel ad luxuriam comprimendam?
 Nempe hanc, quod ita absterrebantur homines a pecunia vel
 contra leges accipienda, vel in turpem rem expendenda.
 Nam, si nihil aliud, certe liberorum, et omnino posterorum,
 existimationem timebant, ad quos istae tabulae necessario
 peruenirent. Maxime autem illud timebatur, ne forte su-
 bito aliquis causae alicuius forensis actor veniret, cum pote-
 state a praetore accepta e legibus, id quod saepissime in cau-
 sis pecuniariis, in crimine repetundarum, factum est, qui an-
 ni cuiuscunque tabulas inspiciendas postularet, quod in iis
 se vestigia suspicaretur reperturum, per quae venire ad ve-
 rum, crimenue, quo de ageretur, posset: qui, si quid reper-
 tum esset, quod ad causam pertineret, obsignaret tabulas,
 in iudiciumque deferret, saltem, si quid turpiter vel acce-
 ptum vel datum esset, videret, atque, ut fit, efferret. Quod
 si quis quid aliter in tabulas inferre vellet, quam vel accepis-
 set, vel dedisset, aliorum tabulis, qui dedissent, aut accepissent,
 fraus poterat teneri. Quae sunt omnia eiusmodi, ut homi-
 nem, non impudentissimum, valde a quaestu impensa que tur-
 pi retinerent. Ceterum, etsi hoc tabularum conficienda-
 rum seruandarumque institutum plurimum ad impensas
 temperandas valebat: tamen et alia eodem consilio excogi-
 tata et usurpata sunt. Primo, vestitus ille simplex, tenuis, eius-
 demque per tot secula formae ac generis, quantum frugalita-
 tis habuit? Tum supellex reliqua quam tenuis quondam ac
 vilis fuit: cum etiam legibus cautum esset, ne quis aurea aut
 argentea vasa, nisi religionis causa, haberet? Quanta porro *Liv. XXXIV, 3*
 frugalitas ac sobrietas in cibo ac potu, quanta quondam et-
 iam in conuiujs priuatis? Videas in Augusto Caesare, veteri-
 ris

XVI

Aug. 74. 76.

ris disciplinae, etiam in hoc genere, retinentissimo, quem Suetonius tradit ternis quaternisue ferculis, ubi lautissime, fenis conuiuatum esse, interdium autem famem sitimque placasse pane aqua frigida perfuso, pomo, lactuculae thyrso, vua et similibus obuiis tenuibusque cibis

Sed in tanta frugalitate ac parsimonia tamen magnitudo animi retinebatur et liberalitas et beneficentia seruabatur; et ut laudabantur, qui sumtum sua causa tenuem facerent, sic in summa gloria erant, qui Deorum et religionis causa, sumtus magnos facerent, qui magnas pecunias in viis publicis, aquaeductibus, templis, ludis, similibusque rebus, quibus reipublicae et posteritati consuleretur, consumerent, ut hoc ipso nomine digni putarentur, qui ad summos in republica honores eueherentur: quod iusta spes esset, eos in honoribus gerendis magno animo versaturos, nihilque ad suam utilitatem, omnia ad publicam relatueros esse

Sed desinendum est, ne fines huius descriptionis excedamus. Nam omnia persequi, iusti prope voluminis foret. Ceterum hoc specimine edocti latinarum literarum studiosi intelligent, quorsum comparari debeat antiquitatis Romanae scientia, eamque esse quandam philosophiam, popularem illam quidem minimeque subtilem, ceterum veram et subtili illa haud paullo efficaciorum. Haec autem scribendi consilium iniecerunt sex disciplinae nostrae alumni, qui sub discessu e Schola nostra de Lycurgi disciplina dicere instituerunt

IO. GOTTLIEB. RAUSCH, Duben.
 GOTTH. CHRIST. ALBRECHT, Born.
 IO. FREDER. AKERMANN, Waldkircha Varisc.
 IO. WILH. CVNIS, Colleda Thur.
 IO. HENR. RVDORF, Nischwic. Misn.
 IO. CAROLVS KREBS, Buttstad. Thur.

Ad eos audiendos ut veniant, qui Scholae, literis, atque his ipsis adolescentibus, fauent, vehementer rogamus

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

M D C C X L V I I .

